



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Somnium Hipponense Sive De controuersijs Theologicis modernis Avgvstini Ivdicivm**

**Stockmans, Pierre**

**Parisiis, 1641**

Kolophon

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40377**

tigantes meretricularum instar, & eadem verba regerentes: modò minutias aliquas refricantes libellulis pluribus, omnibus tamen in folio, vt cum Thesibus compingi possint; & ideo etiam appellare pergunt siue apologeticas, siue additionales; vaferrimo scilicet commento! Pater Viuerus neruofissimum & ingētem commentarium edidit cui titulum fecit *ad rem, ad rem*. Sed alij literas verterunt, & res olida in risum abiit. Aliorum Ordinum Religiosi tacent hæctenus, & ludi spectatores sunt: nisi quod Candidus Ordo primum lapidem cœpit iacere in adulteram attratorum doctrinam. Sed mirandum de Augustinianis; cur ipsi Augustino suo offerendo non ardētius allaborant. Malè fortassis eos habet, inquit Eubulus, quod homo vnus non Eremita melius Augustinum intellexerit, quam ipsi omnes. Fortassis, inquam. Adde, quod ex mantica viuunt, propitios debeant habere Socios apud omne hominum

genus gratiosos. Quid? an non minantur viris in summo dignitatis gradu constitutis; se posse illos Societati aduersantes dignitate exuere? Ita omnes potentia sua terrent, ne causæ Iansenij faueant. Et versutè omnia obseruant, explorant: nihil in conuiuuiis, nihil in accubationibus epularibus garritur, nihil in conuenticulis, quod ipsi per suos non resciant. Sed hoc lepidum Eubule. Qui de Ethica aliquid cōmentati sunt, valde agrè ferunt Iansenium; quod Ethnicorum omnes virtutes conuincat esse peccata. Ergone sic tota nostra, inquiunt, euertetur Ethica? Querela hæc ad Petermannorum aures accidit. Et præ aliis quidam solutiore lingua, cereuisiaque rubens; si Ethica, inquit, vestra, ô boni, euersa est; superest aliud (quod sua lingua vocabat *drinckikam*) hoc nobiscum exercete: & simul cantharum cereuisiarium obtulit.

*Disilliere omnes risu bibulissima turba.*  
Et mihi præ risu Somnus solutus est.

F I N I S.

PARISIIS, Anno M. DC. XLI.